Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

xxviiii. Infirmantibus lauacrum indulgendum, et consilium medici requirendum.
.xxx. Ut cum egrotante ad lauacrum uel alibi non minus quam duo dirigantur.
xxxi Egrotantium cura ad prepositum pertinebit.
x Ut celerarius uel qui uestibus presunt. fratribus libenter seruiant.
Ut codices certis petantur et reddantur horis.
Uestimenta et calciamenta fratribus ab his quibus commissa sunt cum necessaria
Ut nulle sint inter fratres lites. sed orte intra diei spacium terminentur.
Ut qui leserit fratrem conuicio celeriter supplicet et offensus ut ad ignoscendum sit promptus
A durioribus uerbis parcendum
Quod si senior amore discipline peccantem duris increpauerit. domino supplicandum.
Preposito tamquam patri obediendum.
Abba digne honorandus.
Presbiter magis ac magis honorandus.
Regule custodia prepositi cura seruari. ut etiam disciplina commissa minime inemendata pretereant. discipulis.
Qualem se abba debeat estimare. uel qualis a suis sit habendus
Omnia per dilectionem obseruanda.
Ut per omnem dominicum fratribus hic libellus legatur.

Expliciunt capitula. Incipit regula sancti augustini.

Hec sunt que precipimus obseruari ut in monasterio habitantes post principalia precepta dilectionem dei dico et proximi. Primo propter quod in unum estis congregati. caritatis uinculum custodiatur. et unanimes habitetis in domo. et sit uobis anima una et cor unum in deum. Et non dicatis aliquid proprium. sed sint uobis omnia communia et distribuatur unicuique uestrum ab abbate uestro. Uictum et uestitum non omnibus equaliter distribuendum.